

^{XIX}
Heroicum carmen

DE QUATVOR
MONARCHIIS MVNDI,
secundum vaticinia Prophetæ
Danielis 7. cap.

AD ILLVSTRISSIMVM
ET POTENTISSIMVM PRIN-
cipem ac Dominum,

Dn. FRIDERICVM
GVILHELMVM,

Ducem Saxonix, ç. Electoratus Sa-
xonici Tutorem & Administratorem, Do-
minum suum clementiss.^m

CONSCRIPTVM
à

TOBIA TAVCHERO Ositiensi.

LIPSIÆ
IMPRIMEBAT MICHAEL
LANTZENBERGER,

Anno M. D. XCIII.

Bl
390d
17

#18



EPIGRAMMA
IN INSIGNIA ILLV-
STRISSIMI ET CLEMEN-
TISSIMI PRINCIPIS
Saxonæ
FRIDERICI GVILHELMI



CVM nuper PIETAS, anguino horrentia moriū
Exciperet membris vulnera multa suis:
Fortè duos GLADIOS, & florida germina RVTÆ
In Clypeo aspexit, DVX FRIDERICE, tuo:
En duplex, ait, auxilium; non terreor: angues
Mucro fugare potest, Ruta fugare potest.

Hæc Vitekindæis delecta nepotibus arma
Saxonicam decorant, INCLYTE SAXO, domum.

T. T. O.

HEROICVM CARMEN

De Quatuor Monarchijs mundi, ex Danielis cap.7.

Regna Ducesq; cano, varijs qui partibus orbis
Imperium superi nutu tenuere Iehouæ,
Victores populi, quos bellipotentibus armis
Heroës claros, fama q; per æthera notos

Obstupuit tellus Gangetica solis ad ortum,
Et, quæ deciduo præbet grata ocia Phæbo,
Herculeis celebris Gaditana laboribus ora:

Quosq; pius Daniel, Cyri dilectus in aula,
Quadruplici promens animalia mira figura
Expresit, doctasq; ferens ex ore loquelas
Venturis docuit properantia secula fatis.

Daniel 7.

Bestia prima Leo fuit, altera squallidus Vrsus;
Tertia trux Pardus; sed quarta simillima monstro
Cornigero, & populis rabioso dente minanti;
Quod miram duxit certo sine nomine formam.

Hæc sacri Danielis erant insomnia vatis,
Quæ varios mundi casus & regna notârunt.

Non his Delphicole speciosa oracula Phæbi,
Non prisca Druidum voces, foliumue Sibyllæ,
Non Epirææ quæcunque tulere columba,
Maiori vel digna fide vel laude putabo.

Ergo abeat Bromius: spumoso Cypria ponto
Dispereat: procul hinc absit Thymbræus Apollo
Fabula Pieridum; procul hinc, procul este profani.

CHRISTE faue cæptis; Tuq; ô Fortissime gentis
Saxonica rector FRIDERICE, potentibus aucte
Imperijs, fama cunctis notissime terris,

A 2

Et ce-

Et celebri nullis virtute Heroibus impar,
Huc ades; hæc tibi nostra feret noua pagina laudem
Illustrem, modò ne tam vilia carmina sperne,
Quæ non par precium, sed solam supplice voto,
Pro meritis referunt mentemq; animumq; benignum.
Quid verò primum nostrouæ in carmine summum,
Quod referam? moles adeo vastissima rerum
Se pandit, venamq; sua grauitate moratur.
Plura canant alij: sed nostra Camænula paucis
Delibans rerum fastigia summa sequetur.

Cùm DEVS ex nihilo, verbi virtute, creasset
Omnia, quæ cælum, quæ tellus, pontus & aër
Continet, & vario decorasset munere, vastis
Quæ spacijs colimus, formosa habitacula mundi;
Tunc hominem rerum, quas primo fecerat ortu,
Constituit dominum mundiq; capessere sceptrum
Iussit, & imperio moderari cuncta creata;
Scilicet vt positus degens sub legibus æuum
Res coleret natas, magnoq; beatus in horto
Pinguia plantaret leto viridaria cultu.
Non tulit hoc coluber Phlegethontius: ergò beatum
His donis hominem diuine à tramite legis
Auocat, & captum blanda mulcedine lingua
(Proh scelus!) his tandem genialibus expulit aruis.
Vnde homines extra Paradisi limina longum
Perpeffi exilium, varios toto orbe labores
Exantlauerunt, auideq; cupidine mentis
Per varias mundi partes hinc inde vagantes,
Arua coëgerunt votis parere coloni.
Nullus tùm Cesar; nullum diadema superbis
Ornatum gemmis; nullus, qui tristia scitu
Conderet æternis mandata legenda tabellis,

Morta-

Mortalis princeps, sed Diuūm munere freti
 Debita terrigena, nullo cogente Tyranno,
 Officia explebant, & patrum iussa sequentes,
 Sinceram sine rege fidem rectumq; colebant.
 Nulla tum galea; nullus quoque militis usus;
 Nulla cohors campis; nullus feralibus umbris
 Carcer, & appensum torquentia vincula collum,
 Qualia nunc hominum producit degener atas:
 Quod si forte scelus quis turpibus ederet ausis,
 Filius, à proprio condigna parente ferebat
 Supplicia, aut miti doctus monitore cauebat,
 Vt ulterius tristes accersere crimine pœnas.
 Hoc erat imperium, priscorum etate parentum,
 Quod Patriarcharum docto cognomine, Graiūm
 Lingua vocat, vixitq; prius, quàm, sorte fauente,
 Calicolūm nutu, freti socialibus armis,
 Imperium in gentes auidi rapuere Monarcha.

Ex his primus erat NIMROD fortissimus heros,
 Qui, fracto patrum regno, diadema feroces
 Intulit in populos rector, sceptrisq; potitus
 Presit inauditis totum dominatibus orbem:
 Quinetiam iussit constrictos compede legum
 Viuere, & indomita virtute coëgit iniquos,
 Ut caperent equi studium, rectisq; benigni
 Officijs, agerent concordie pectore vitam,
 Ceu primum à priscis Patriarchis voce ministra,
 Absq; ulla tristi pœna formidine docti,
 Hunc rectum vitæ cepissent tendere cursum.
 Hinc NIMROD, sancta Scriptura voce vocatur,
 Venator magnum fortissimus ante Iehouam.
 Nam veluti canibus suetus circumdare sylvas

I.
 ASSYRIORUM
 Monarcha NIMROD, LEO.

Genes. 10.

Venator, quascunque feras quocunque recessu
 Fortè videt, celerans in subdola retia cogit,
 Arbitrioq; suo captiuum congregat agmen:
 Sic etiam NIMROD, pharetris instructus & arcu,
 Pacificas primus gentes conterruit armis,
 Diuersisq; locis habitantes traxit in vnam
 Collectas sedem, durisq; capessere iussis
 Iura, magistratumq; dedit, sanctumq; senatum,
 Qui iustos digno passim cumularet honore;
 At contra iniustos minimè pateretur inultos.
 Post illum, mox sceptrata tulit regalia Belus;
 Deinde potens Ninus, domitrixq; Semiramis vrbis
 Assyriae, Baleus, Mancaleus: atque Sosarmus,
 Ascatades, Beloch, & cetera turba potentum,
 Qui prisco residere throno cepere, Deorum
 Auspicys, donec post plurima secula regnis
 Exiit incautum se Sardanapalus auitis,
 Dum teneram mollis tractat ceu foemina lanam,
 Fucatisq; labris muliebrem degener aulam
 Incolit, & sparsis luget sua funera flammis.
 His magnis Nimrod auctoribus, inclytus armis,
 Praeclara Assyrii statuit fundamina regni,
 Terrigenum cunctis audax Dominator in oris.
 Nam, veluti leo Getulis animosus in aruis,
 Opposuit dubijs fortissima pectora rebus,
 Et sparsos domuit populos magnisq; tremendus
 Genes. II. Viribus, à turri ductam Babylonide turbam,
 Impulit acceptæ noua iungere vincula pacis.

II.
 PERSARVM
 Monarcha
 CYRVS, VI-
 sus.

Post multos verò, fatis voluentibus, annos
 Magnanimus CYRVS, victa Babylone, secundus
 Felici imperio sua sceptrata Monarcha feroces

Extulit

Extulit ad Persas, Medosq; coërcuit, acerts
 Inyiciens frenos, ne luxuriante rebelles
 Pectore perniciem patrijs crudeliter oris
 Inferrent, animoq; novos urgente tumultus,
 Condita sanctarum violarent fœdera legum.
 Nec satis hoc: imò conducto Marte propinquos
 Adiecit regno populos, armisq; minaces
 Edomuit, forti succinctus acinace, gentes,
 Obuia quæq; metens, nulli miseratus, & atram
 Intentans mortem, quoscunqueprehendere captos
 Aut profugos potuit varijs regionibus orbis.
 Non aliter turpes instant fugientibus vrsi,
 Quos malesuada fames magno cum murmure cæcis
 Exegit latebris, victumq; exquirere cogit
 Per densas sylvas & inhospita strata viarum;
 Talis erat CYRI rabies, quo postea fatis
 Defuncto, patrij capiens moderamina regni
 Cambyses audax, magnusq; Assuerus, & armis
 Bellipotens Xerxes, terræq; marisq; triumphis
 Notus, & ingenita clarus virtute Darius
 Sceptra tulit, proavis non inferiora secutus
 Facta, sed infausto commissus Marte, potentem
 Pellæi dextram expertus, diadema paternum
 Et regni sceptrum victori cessit habendum.

Post domitos verò Medos victumq; Darium,
 Tertius Eoo cepit sub sole Monarcha,
 Argolici latè regni protendere fines
 Magnus Alexander, reuera Magnus, & inter
 Heroas veteres claris celeberrimus ausis.
 Huic soli iuueni non vnus sufficit orbis;
 Sed miser, angusto ceu mundi limite sudat,

A 4

Vt po-

III.
 GRAECORUM
 Monarcha
 Alexander Magnus,
 Pardus.

lit



Vt populos inter, magnis clarescere factis
Possit, & illustri volitare per aethera fama.
Nam nigros Indos domuit, Persasq; minaces,
Post etiam Graias, spolijs Orientis onustus,
Accesit terras, Asiaq; minoris iniqua
Littora tentavit, Mysiosq; Phrygesq; potentes.
Post Bithynorum fines, qua strictior alter
Bosphorus Euxinum pontum constringit, & ultra
Arua Lycaonia tandem progressus, opimam
Gentibus eripuit praedam, domitisq; superbis
Per duo lustra ferè, totum sibi subdidit orbem.
Quis poterit verbis unquam memorare disertis
Omnia regna, quibus, nulli superabilis, olim
Victor Aminthiades tenuit regalia sceptrâ?
Nemo quidem, licet huic vox, immortalis ahenò
Ore sonet, minimam potis est comprehendere partem.
Sed tandem, exhaustis Graiorum more culullis,
Ebria, (ceu Pardus) vino obrutus, ilia languens,
Funeream tristi pensavit funere cœnam.
Heu miser, ô utinam nunquam data vina bibisses,
Sic nunquam, exilij pœna multatus acerba.
Magnus Aristoteles claras liquisset Athenas,
Et valida nullum mula vngula crimen haberet.
Te moriente, nova populus concussus Achiuus
Seditione, suis didicit producere damnis
Lugubres vestes, atque exequialia fuscis
Pallia lemniscis, patriæ restantia luctum.
Sed fata hoc voluere: sacra cadit arbore pulcer
Flosculus, haud hilarans primo sub vere colonos;
Qui, si pulcricoma fructus in fronde tulisset
Maturus, Orphèi saxum venerabile nunquam
Cessasset rignos sudoris fundere riuos.

Vnde

Vnde sacris quondam creuisset fama poetis,
Innumeros pariens nomenq; decusq; per annos.
Sed nihil est firmum! MOR S sceptris ligonibus equans,
Pauperibus reges sociat, summisq; perennat
Infima: Sic mundi quoque tertius ille Monarcha
Occidit, aeternos sibi qui spondebat honores,
Inter Achaemenios poscens altaria Persas.

At tandem magna dominatus in urbe Monarcha est

CAESAR, Alexandri mores imitatus & alta
Vim mentis, cuius metuens victricia quondam
Signa, Quirinales Aquilas fascesq; superbos,
Deposuit regina orbis, Mauortia Roma,
Quam tenui pulchram praecinctus arundine & vluva
Alluit irriguis Tyberis gratissimus undis,
Victricem quondam, sed magno Cesare victam.
Hinc adeo splendore loci, prudentia, & armis
Iulius illustris duxit primordia regni,
Iam socero caeso, patriae post praelia victor,
Legitimam firmans pacem: sed cadibus ardens
A fati CAESAR nomen tulit. Inde benignis
Caesareos diuis AVGVSTVS cepit honores;
Ac grata patriae patris cognomine fausto,
A populo ornatus Romanorumq; senatu
Emeruit cunctis decus indelebile seclis.
Hoc regnante, casa tectus sub paupere Christus,
Terrigenum sortem miseratus, matre Maria,
Iudeis duxit terris exordia vite.

Inde domus celsi se Caesaris extulit: inde
Augustae titulus stirpis, quo CAROLVS ingens
Se merito iactans, bipatente Tuisconis oras
Illustres Aquila donauit, & arma rebellem

IIII.
ROMANO-
rum & Ger-
manorum Mo-
narchia.

Iulius Caesar
& Augustus.

Carolus Ma-
gnus.

Anso-

Ausoniam victor docuit deponere plebem.
Nunquid habet tanto Germania Casare quicquam
Nobilius? Nunquid maiores cepit honores
A quoquam, qui post ea tempora vixerit heros?
Haud reor: Aeternum venit hoc à principe nomen:
Scilicet hoc perpes se gloria tollit in altum
Germana, obscurans antiquæ nomina Romæ.
Hoc duce scutigero firmans se milite bellax
Teuto, Corinthiaco fulgentes ære cateruas
Perrupit, clarumq; tulit pugnace tropæum
Ausonia, quem nec moles, nec barbara seuo
Murmure compressit promissis horrida barbis,
Longobardorum gens effera, sed magis acrem
Incendit virtutem animi, quo frangeret omnes
Barbarie vires, studioq; iuuante labores
Deiicto pacem post bella reduceret orbi.
Non ergo mirum est, si post Latialibus aruis
Cedentem Irnerium, velut immortale beatæ
Teutonie numen, varias coluere per vrbes
Saxones antiqui, piscosa ad flumina Sale,
Et quâ Marpurgum Lano lambente, potentes
Cattigena gaudent casulis habitare lutosis.
Post tamen hic cultus Mauortis cessit, & ipsi
Germani primum, Vitekindo rege, receptam
Christiadum didicere fidem. Tunc nulla supino
Corpore adorârunt vani simulacra Gradiui:
Sed potius supero fuderunt vota Iehouæ,
Qui magnum ex nihilo. cælum terramq; creauit,
Cuncta ferens, & cuncta beans, & cuncta gubernans.
Sic ergo, regno post Iulia sceptrâ potitus,
CAROLVS, ad nostras cepit traducere terras
Ius regni, Latio quod adeptus in orbe tenebat.

Hinc

Hinc longa serie, multis labentibus annis,
 Tandē usq; ad Diuum fasces venēre RVDOLPHVM, Rudolph^o.
 Qui satus Austriaca veteri de stirpe Monarcha
 Teutonicas moderatur opes, & principe Christo,
 Fretus in hostiles horrentia spicula turmas
 Conglomerans, patrio pellit de limite seui
 Arma Getæ, Turcasq; suis parere feroces
 Imperijs cogit, fluctumq; binominis Istri
 (Virtutem tribuente Deo) iam classe parata
 Protegit, haud patrijs passus sobolescere gentes
 Urbibus. O nobis hunc seruent mitia regem
 Numina, nostra cui tellus Germanica cura est!
 Præcipue, PRINCEPS patriæ fortissime, nobis
 Te superum seruet Reçtor: quem diua Camæna
 Imperij summis auct associare Monarchis,
 Tu nostra columen gentis, tu nobilis ille
 His seclis Atlas, quo sustentante quiescit,
 Ceu tergo portata domus generosa vetustæ
 Saxonia; Magnum tibi robur & enthea virtus
 A Superis concessa: nihil te bellica terrent
 Signa, Deo mittente alacres in pectora vires
 Et celeres nullis superandas fraudibus artes.
 Haud minor antiquis laus est tua regibus: alma
 Te pietas celebrat, studiumq; bilancis honestum
 Iusticia, nullo turbante examen iniquo.
 Te duce, iam norunt tranquillos equore soles
 Dilectæ Christo Halcyones, sobolemq; tenellam
 Educunt, tute contra fera murmura Cauri.
 Quem censēs igitur tam duri pectoris atque
 Ingrati, qui non Superis pro munere tanto
 Exoluat digno celebrandas carmine grates?
 Hoc sane officium qui negligit, ille Megera

FRIDERI-
 cus V Vilhel-
 mus Saxo.
 &c.

Matre

*Matre satus, Stygio tandem experietur in orco,
Quàm deforme nefas & tristi morte piandum
Sit scelus, hoc nullas pro munere soluere grates.*

Epilogus.

*Quod superest ergò, Te quæsumus alme Iehoua,
Arma trucis depelle Scytha: pax aurea terris
Fulgeat, ut quondam, cunas venerata potentes
Nascentis Christi, per totum floruit orbem.
Cæsareum defende caput, cui ferre Monarcha
Donasti diadema, locumq; tenere dedisti
His summum in terris: fac fortem decolor Indus
Germanum trepidans Aquilaq; biuerticis unguis,
Huic nostro imperio collum submittat, & una
Mente tibi supplex meritos decernat honores.
Quinetiam, Pater alme, sacra requiescat in umbra
Saxonie Ruta terras Astræa reuisens
Et pietas, & cana Fides, spem pectore firmans,
Quæ, quia propitium te gaudet amare parentem,
Terrigenis verè est regni cælestis imago.
Da patriæ bona cuncta Duci: nam non modò nomen
Dulce p̄j Ducis est, verum res ipsa salubris,
Quam sanctè omnis homo studio veneretur honesto.
Sic tibi discentum soli, tibi lingua docentum
Seruiat, & plantas cælestes pangat in horto.
Donec in extremo perituri turbine mundi,
Maximus ille suas olidis seiunget ab hircis
Pastor oues, iustiq; tenax iustissima cunctis,
In solio residens, persoluet premia Iudex.*

F I N I S.

A 2490

ULB Halle

3


003 485 986




sb

kom







^{XIX}
Heroicum carmen
DE QVATVOR
MONARCHIIS MVNDI,
secundum vaticinia Prophetæ
Danielis 7. cap.
AD ILLVSTRISSIMVM
ET POTENTISSIMVM PRIN-
cipem ac Dominum,
Dn. FRIDERICVM
GVILHELMVM,
Ducem Saxonix, ç. Electoratus Sa-
xonici Tutorem & Administratorem, Do-
minum suum clementiss.^m
CONSCRIPTVM
à
TOBIA TAVCHERO Ositiensi.
LIPSIÆ
IMPRIMEBAT MICHAEL
LANTZENBERGER,
Anno M. D. XCIIII.

Bl
3908
17

#18

